



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Sive Homiliæ In Dominicas Anni, Et Festa Sanctorum

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

De Officiis, libellus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72051](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72051)

meditationem scripturarum, & cetera hujusmodi, quæ verè sunt divitiæ spiritus, ubi pura sinceritate mentis geruntur. Ubi autem sine fide quæ per dilectionem operatur, fiunt, nihil agentibus profunt. Sed & illæ filia frustra congregaverunt divitias, de quibus Dominus ait, *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia ejecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Sed omnes istiusmodi filias Ecclesia Catholica supergreditur, quæ fide casta, & opere perfecta redemptoris sui vestigia sedatur.

W S CHIN.

Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Deum, ipsa laudabitur. Fallax est gratia laudis, quam ab homine accipit; vana pulchritudo charitatis vel operationis bonæ, quam hominibus tenet anima, quæ timore caret divino. At illa conscientia verè est laude digna, quæ timorem Dei in omnibus servat: ipse est enim principium cunctatum, custosque virtutum, scriptura dicente, *Timor Domini principium sapientiæ: & iterum, Qui timet Dominum, nihil negligit.* Hinc est enim quod beatus Job & in prosperitate virtutibus incomparabiliter floruit, & in adversitatibus insuperabilis hosti permansit: quia veraciter dicere potuit, *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* Fallax ergo simulatorum gratia, vanus decor operis stultorum. Ecclesia autem quæ in timore incolatus sui tempore conservatur, quoniam ardentes virtutum lampadas venienti ad iudicium sponso suo offeret, jure ab eo laudata, janua regni cœlestis intrabit. Qualiter autem eam laudet, terminali versu docetur.

N T A U.

Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis operæ ejus. Hæc sunt enim verba viri illius, de quo dictum est, *Vir ejus laudavit eam ad eum, Domini & Salvatoris nostri, qui Angelis in fine præcepturus est, ut Ecclesiam post hujus vitæ certamen, post triturationem afflictionemque terrestriam, ad cœlestis regni gaudia introducant, ac vitæ immortalis sibi sociam aggregent: juxta illud Evangelicum, Triticum autem congregate in horreum meum.* Dicit, *inquit, ei de fructu manuum suarum:* quia fructum spiritus ferre curavit, charitatem, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, modestiam, continentiam, fidem, patientiam. Pro hoc illi debitam rependite mercedem, & laudent eam in portis: hoc est in judicio sive in ingressu patriæ cœlestis, non hominum favores supervacui, sed opera ipsa quæ fecit, examinante, probante ac remunerante illo, cujus hæc donante gratia perfecit, à quo ut laudari mereamur in futuro, concedat ipse propitius, nos eum dignis in præsentis vita collaudare servitiis, Amen.

VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI,
libelli de forti muliere, finis.

BEDÆ PRESBYTERI
DE OFFICIIS LIBELLVS, EX
QUORUNDAM PATRUM
dictis excerptus.

DE DOMINICO DIE.

Dominicum diem Apostoli ideo religiosa solennitate colendum sanxerunt, quia in eodem redemptor noster resurrexit: quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus, & mundi illecebris abstinentes, tantum divinis cultibus servemus, dantes scilicet diei hujus honorem & reverentiam, propter resurrectionis nostræ spem, quam habuimus in illa. Nam sicut ipse Dominus

Jesus Christus & Salvator noster, tertia die resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in novissimo seculo speramus. Unde etiam Dominico die stantes oramus, quod est signum futuræ resurrectionis. Hoc agit universa Ecclesia, quæ in peregrinatione mortalitatis inventa est, expectans in finem sæculi, quod in Domini nostri Jesu Christi corpore præmonstratum est, qui est primogenitus à mortuis. Sabbato autem priore populo in otto corporaliter celebrandum, ut figura esset in requiem; unde & sabbatum requies interpretatur. Dies autem Dominicus non Judæis, sed Christianis per resurrectionem Domini declaratus est, & ex illo cepit habere festivitatem suam. Ipse est enim dies primus, qui post septimum reperitur octavus. Unde & in Ecclesiæ duorum testamentorum significatione dicitur illi septimus, & illi octavus. Primum enim solum celebrare sabbatum traditum est, quia erat antea requies mortuorum, resurrectio autem nullis erat. *Qui resurgens à mortuis jam non morietur, mors illi ultra non dominabitur.* Jam postquam facta est talis resurrectio in corpore Domini, ut præret in capite Ecclesiæ, quod corpus Ecclesiæ speraret in fine: dies Dominicus idem octavus, qui & primus in festivitate successit. Apparet autem hunc diem etiam in scripturis sanctis esse solennem. Ipse est enim dies primus sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli, in ipso quoque à mortuis resurrexit Dominus, in ipso de cœlis super Apostolos descendit Spiritus sanctus. Manna eodem die in eremo primum de celo data est. Sic enim dicit Dominus, *Sex diebus colligitur manna, in die autem sexto duplum colligitur.* Sexta enim dies est pascheve, qui ante sabbatum ponitur. Sabbatum autem septimus dies, quem sequitur Dominicus, in quo manna primum de celo venit. Unde intelligant Judæi, jam tunc præiatum esse Judaicum sabbatum Dominica nostra: jam tunc indicatum, quod in sabbatum ipsorum gratia Dei ad eos nulla descenderit, sed in sanctam Dominicam nostram, in qua primum eam Dominus pluit.

DE LXX. I. X. L. XL.

Septuagesima computatur secundum titulationem sacramentarii & antiphonarii novem hebdomadibus ante Pascha in septimam sabbati. Populus Dei in Babylone detentus est captivus septuaginta annis, quibus expletis, reversus est Jerusalem. Septuagesimus numerus ad memoriam nobis reducit omne tempus præsentis sæculi, quo alieni sumus à cœlesti Jerusalem. Ideo auctor officii septuagesimam posuit in officiis nostris, ut hoc tempore à deliciis abstinentes, ostenderemus in nostra conversatione, qualiter per omne tempus sæculi vivere debeant, qui post baptismum peccatis se alienant à cœlesti Jerusalem. Nam quod post septuaginta annos populus de captivitate revertebat, quis non videat post evoluta tempora, quæ septenario dierum numero transcurrunt, etiam nobis idem Ecclesiæ Dei ad illam cælestem Jerusalem ex hujus sæculi peregrinatione redeundum? Quapropter *Alleluia* illo tempore non cantatur apud nos, nec *Gloria in excelsis Deo*, quia sunt cantica cœlestia. Dicit enim Psalmus: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sunt qui primam hebdomadam septuagesimæ sine aliquo articulo novellæ conversationis ducunt, excepta mutatione *Alleluia*, & quibusdam locis Dalmaticarum, & intermissione *Gloria in excelsis Deo*: Græci proximam hebdomadam, id est, Sexagesimam, sanctificant suo jejunio. Cleri nostri, auctore Telephoro Papa sequentem, id est, quinquagesimam, qui constituit septem hebdomadarum jejunium ante Pascha. Præceptor officii nostri ampliore mutationem requirit, quam nos agamus constitutione officii sui, ipsam enim jejunium intimavit in prima oratione missæ dicens, *Ut qui justè pro peccatis nostris affligimur.* Hic enim afflictionem sonat. In introitu quoque dicit, *Circa desiderunt me gemitus mortis, dolores inferni.* Propter hos dolores non possumus latari & securi esse, sed preparare nos ad bellum, ut Apostolus ait: *Omnia qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Dicit Ambrosius: *Ab omnibus quæ vitanda eadem tradit disciplina: ut*

sciatis unum coronandum: quanto magis observandum, quibus omnis promissa est salus? Unde autem abstinere debeamus, qui bellaturi sumus, docet Apostolus, dicens: Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis.

Telephorus Papa, nonus post beatum Petrum Apostolum in sede Romana, constituit ut per septem hebdomadas abstinentiam observarent, quod adhuc multi faciunt. Quod tempus tunc duas ob causas Quadragesimam placuit appellari, vel quia in ordine quinquagesimus numerus post quadragesimum constat, vel quia exinde quinquaginta dies sunt in sanctam resurrectionem: ex quibus si octo Dominicos dies subtraxeris, in quibus jejunium non licet observare, remanent quadraginta & duo dies. Et hi duo dies quinta & septima feria, qui quadragenarium numerum excedunt, apud quosdam jejunio deducuntur: apud quosdam in refectioe propter cenam Dominicam & sanctum sabbatum habentur. Postmodum vero Melchiodorus Papa, natione Afer, trigessimus quartus post sanctum Petrum constituit, ut nemo praesumeret in prima vel quinta feria jejunare. In prima propter Domini resurrectionem: in quinta, quia in ea Dominus cenavit cum discipulis suis, & in ea ascendit in caelum. Tunc placuit fidelibus, ut octo hebdomadas jejunio consecrarent, & primam Dominicam Sexagesimam nominarent, non propter sexagenarium dierum numerum, sed propter usum locutionis nostrae: quia sicut quadragenario quinquagesimus, ita quinquagenario sexagesimus, & sexagenario septuagesimus coaptatur. A sexagesima usque Pascha, octo hebdomadae: è quibus singulis si primam & quintam feriam de abstinentia subtrahas, ut Melchiodorus instituit, & ipsum diem Pascha, quadraginta tantum dies remanent abstinentiae ad imitationem Domini nostri Jesu Christi. Septuagesima ideo à fidelibus ferre celebrari, ut & decimas dierum Deo reddere, & nihilominus primam & quintam feriam & sabbatum possint à jejunio relaxare. A septuagesima namque in Pascha, novem sunt hebdomadae, quae faciunt sexaginta quatuor dies. Ex quibus si de unaquaque hebdomada tres praefatos dies subtraxeris ad sacrum diem paschalem, triginta sex dies in decimatione anni jejunas. Ille autem qui sabbatum constituit honorandum, non propter legalia mandata hoc fecit, sed quia requievit illa die Dominus in sepulchro. Augustinus libro decimo quinto de Civitate Dei, Nomina, inquit, quae gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt: sed propter illa quae aliquid significant, etiam illa quae nihil significant, attenduntur. Non soluta vomere aratur, sed ut hoc fieri possit, etiam cetera ut arri membra sunt necessaria. Nec soli nervi in citharis aptantur ad canendum, sed ut aptari possint, insunt, &c.

ITEM ALITER.

Quare dicitur Septuagesima, cum ab ea die usque in Pascha non sint plus quam sexaginta quatuor dies? Consectudo est scripturarum divinarum, ut omnis numerus, ex quo quamlibet decadam transierit, ut tertius modicis incurrat, non deputetur idem numerus praecedenti decadi, sed ei ad quam tendit. Lege librum Genesis, in genealogia filiorum Noë.

ITEM ALITER.

Cum dicitur Septuagesima, cum ab illa die usque in Pascha non sint septuaginta dies, sed sexaginta quatuor? Septuagesima tendit ad sabbatum ante octavas Pascha, quando hi qui in vigilia Pascha baptizantur, alba vestimenta deponunt, & tunc confirmari eos oportet ab Episcopo, & per impositionem manus accipere Spiritum sanctum: & quia septem dona Spiritus sancti describuntur, recte qui hanc accepturi sunt, septuagesimam ante celebrant. Quod enim septenarius numerus per se, hoc idem significat per denarium multiplicatum. Sexagesima tendit ad medium pascha, id est quartam feriam hebdomadae Paschalis. Quinquagesima tendit ad ipsum diem Pascha: Quadragesima ad diem coenae Domini. Computa ergo

dierum numerum, qui sunt in abstinentia à Septuagesima usque Quadragesimam: & invenies ter senos, id est, octo decim dies, exceptis Dominicis diebus. Quem numerum si per duplarem proportionem divides, invenies in una parte sex, in altera duodecim: sex autem ad duodecim simpla, duodecim ad sex, dupla proportio est. Item inter cenam Domini & diem Pascha duo sunt dies, & inter Pascha & medium Pascha, quod est quarta feria, duo sunt dies, quod tendit Sexagesima: & ab ipso die usque sabbatum, quod Septuagesima pervenit, similiter duo, qui sunt simul sex: Quatuor enim ad duo, duplum est ad simplum. Praecedentes ergo numeri, qui sunt in abstinentia, significant duplam mortem nostram, simpla Christi morte esse destructam. Nos enim in anima & corpore morti eramus obnoxii, Christus autem sua corporali morte, & anima & corporis mortem exclusit. Illa autem dies, quos in Domini resurrectione cum gaudio & laetitia celebramus, significant resurrectionem, quam Christus duplam sua simpla contulit. Ipse enim sicut solo corpore mortuus est, ita & solo corpore resurrexit: nos autem & in anima primum resuscitatus, peccata dimittendo, & in futuro etiam corpora resuscitatus est.

DE JEJUNIO QUADRAGESIMAE.

Jejuniorum tempora secundum scripturas factas, quatuor sunt, in quibus per abstinentiam & lamentum penitentiae Domino supplicandum est: & licet omnibus diebus orare & abstinere conveniat, his tamen temporibus amplius jejunis & penitentiae servire oportet. Primum enim jejunium Quadragesimarum est, quod à veteribus libris cepit, ex jejunio Moysi & Heliae, & ex Evangelio: quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire à lege & prophetis. In persona quippe Moysi, lex: in persona Heliae, propheta accipiuntur. Inter quos in monte Christus gloriosus apparuit, ut evidentiùs emereret, quod de illo dicit Apostolus Paulus ad Romanos tertio capite: Testimonium habens à lege & prophetis. In qua ergo parte anni congruentius observatio Quadragesimae, nisi consensu atque congrua Dominicae passionis, quia in ea significatur haec vita laboriosa? Cui etiam opus est continentia, ut ab huius mundi illecebris jejunemus, vivente in solo manna, id est, coelestia spiritaliaque praecepta. Numero autem quadragenario vita ista propterea figuratur, quia denarius est perfectio beatitudinis nostrae. Creatura autem septenario figuratur quae ad erat creatori, in quo declaratur unitas Trinitatis per universum mundum temporaliter annunciata. Et quia mundus à quatuor ventis delineatur, & à quatuor elementis eligitur, & à quatuor annis temporum cibus variatur: decem quater ducta in quadraginta consummantur, quo numero ostenditur ab omni temporum delectatione abstinendum ac jejunandum esse, & castè continenterque vivendum. licet & aliud sacramenti mysterium exprimitur, quo quadraginta diebus eadem jejunia celebrantur. Lege enim Mosaisca generaliter universo populo est praeceptum, decimas & primitias offerri Domino Deo. Itaque dum in hac sententia principia voluntatum consummationesque operum nostrorum referre ad Dei gratiam admoneamur in supplicatione tamen quadragesimae, summa ista legalium decimarum expletur. Totum enim anni tempus triginta sex dierum numero decimatur. Subtrahis enim à quadragesima diebus Dominicis, quibus jejunia resolvuntur: his diebus quasi pro totius anni decimis ad Ecclesiam concurrimus, actuumque nostrorum operationem Deo in hostiam jubilationis offerimus. Cujus quidem quadragesimae legibus sicut ait noster Cassianus, quique perfecti sunt non tenentur, nec exigui huius canonis subiectione contenti sunt: quem profecto illis qui per totius anni spatium deliciis & negotiis secularibus implicantur, Ecclesiarum principes statuerunt, ut vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his diebus saltem vacare Domino congerentur, ac dierum vitae suae, quos totos quasi fructus quondam fuerant voraturi, velut decimas Domino dedicarent.

ITEM UNDE SUPRA.

Congrua autem ratione magistri Ecclesiæ quadragesimæ tempus ante Domini passionem observandum esse statuerunt, ut intelligamus, quia præsentis vitæ afflictio immortalitatem futuram parit. Ad quam rem confirmandam ipse Dominus, qui quadraginta diebus ante passionem jejunavit, quadraginta etiam post resurrectionem cum discipulis conversatus est, utrumque tempus quadraginta dierum numero complens: ut ostenderet in præsentī vitæ tempus esse afflictionis, & in futuro gaudii. Cum enim quadraginta diebus ante passionem jejunaret, quasi clamabat: *Nisi penitentiam egeritis, moriemini in peccatis vestris.* Et Petrus: *Abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Cum verò post resurrectionem cum discipulis conversaretur, eorum corda latificans, quasi illud gaudium ineffabile promittebat, de quo alibi ait: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* & iterum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Jejunavit autem non solum quadraginta diebus, sed etiam noctibus: ut si prospera blandiantur, quæ significantur per dies: sive adversa terreant, quæ significantur per noctes, immobilis perseveret animus Christianus: sicut faciebat ille qui dicebat, *Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces, sicut qui ignoti & cogniti.*

RATIO DE PASCHA.

Jam verò Paschale sacramentum, quod nunc in Salvatoris nostri mysterium manifestissime celebratur, in veteri Testamento primum figuratim gestum est, quando agno occiso, Pascha celebravit populus Dei in Ægypto. Cujus figura in veritate completa est in Christo, qui sicut ovis ad immolandum ductus est, cujus sanguine illius postibus nostris, id est, cujus signo crucis signatis frontibus nostris, à perditione hujus seculi, tanquam à captivitate Ægypti liberamur. Cujus quidem diem Paschalis resurrectionis, non solum pro eo celebramus, quod in eodem à mortuis resurrexit: sed etiam pro aliis sacramentis, quæ per eundem significantur. Qui enim, sicut dicit Apostolus, *Mortuus est propter delicta nostra, & surrexit propter justificationem nostram:* transitus quidam de morte ad vitam, in illa passione Domini & resurrectione sacratum est. Nam & vocabulum ipsum, quod Pascha dicitur, non Græcum, sed Hebræum est: nec à passione, quomodo pascha Græcè dicitur pati, sed à transitu Hebræo verbo Pascha appellatur: quod & maxime Evangelista expressit, cum celebraretur à Domino Pascha cum discipulis suis: *Cum vidisset, inquit, Iesus, quia venit hora ut transires de mundo ad patrem.* Transitus ergo de hac vita mortali, in aliam vitam immortalem, hoc est de morte ad vitam, in passione Domini & resurrectione commendatur. Hic transitus à nobis modo agitur per fidem, quæ nobis datur in remissionem peccatorum, quando conspelimur cum Christo per baptismum, quasi à mortuis transeuntes de pejoribus ad meliora, de corporalibus ad spiritalia, de conversatione hujus vitæ, ad spem futuræ resurrectionis gloriæ. Propter ipsum ergo initium novæ vitæ, ad quam transitus, & propter ipsum novum hominem, quem jubemur induere, & exuere veterem, expurgantes veterem fermentum, ut simus nova conspersio, quomodo Pascha nostrum immolatus est Christus: propter hanc ergo vitæ novitatem primus mensis ex mensibus anni celebrationi huic attributus est: nam ipse dicitur mensis novorum. Quia verò in toto tempore seculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini tridua est. Primum enim tempus ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Ubi jam manifestum est sacramentum, quod ante erat in prophetico ænigmate occultum. Quod verò anniversarius dies Paschalis non ad eundem redit anni diem, hoc fit propter Dominicum diem, & decimam quartam lunam.

ITEM ALITER.

Pascha igitur non à passione, ut quidam putant, sed à transitu est dictum. Ex eo verò tempore quo Dominus per Ægyptum transiens, primogenita Ægyptiorum percussit, & filios Israël liberavit, pascha justum est celebrari: quod Hebræicè phascha, Latine transitus dicitur. Primum ideo transitus, quia in hac die transit Dominus super Ægyptum, Ægyptios vastans, & Israëliticum populum liberans. Deinde, quia ipsa dies transiens exterminator per regnum Ægyptiorum, primogenita eorum interfecit. Tertio, quoniam in hac celebritate festivitatis, Redemptor noster de hoc mundo transivit ad patrem: sicut Joannes plenius manifestat dicens, *Ante diem festum pasche, sciens Iesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad patrem.* Quomodo primum justum est celebrari, in Exodo inveniri potest, capitulo XXXVII. Hoc sanè juxta veteris instrumenti scripturam inter pascha & azyma distat, quod pascha ipse solus dies appellatur, in quo agnus occidebatur ad vesperum: hoc est XIV. luna primi mensis: quinta decima autem luna, quando egressum est de Ægypto, succedebat festivitas azymorum: quæ VII. diebus, id est, usque ad XXI. diem ejusdem ad vesperam est statuta solemnitas.

ITEM DE PASCHA.

Annocium pascha, est anniversarium paschæ. Verbi gratia, Præterito anno VII. idus Aprilis fuit pascha, & in præsentī anno in jam dictis Cal. id est, VII. idus Aprilis, est annocium paschæ, quod fuit in præterito anno. Hoc solum modo de pascha ideo agitur, quod hæc fit singularis, & solemnitas solemnitatum.

DE LITANIA MAJORE.

Romana consuetudo unum diem, id est VII. Calend. Maii interponit, quem vocat in Litania majore, non in jejunio. Litania autem Græcè, Latine deprecatio vel rogatio dicitur: inde & rogationes. Potest enim serena mens & aliena à voluntate mala precari Deum, quamvis manducet sobriè. Eo enim tempore, id est, VII. Cal. Maii, solent inimici commovere bella adversus vicina regna. Hoc reor cautè esse provisum, vel quia tunc omnia in quodam profectu sunt, menses pullulant, arborei fructus ex flore procedunt, vineæ & olivæ suis arboribus erumpunt, animalia campos tendunt: quoniam necessaria hæc sunt nostris usibus, petendum est ut à Domino conserventur. Tres autem dies rogationum, qui celebrantur ante Ascensionem Domini juxta morem Gallicanæ Ecclesiæ, constituit sanctus Mamertus Viennensis Episcopus: ob incurSIONEM scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis gravissime afficiebant populum Dei. Quæ consuetudo apud nos usque hodie pro diversis calamitatibus devotissime colitur.

DE PENTECOSTE.

Initium sanè & causa festivitatis Pentecostes paulo latius repetenda est. Pentecostes enim dies hinc cæpit exordium, quando Dei vox in Syna monte desuper in tonantis audita est, & lex data est Moysi. In novo autem Testamento Pentecoste cæpit, quando adventum sancti Spiritus, quem Christus promisit, exhibuit: quem, ait, non esse venturum nisi ipse ascenderet in cælum. Denique dum portam cæli Christus intraret, decem diebus interpositis intremuit subito orantibus Apostolis locus: & descendente Spiritu sancto super eos, inflammati sunt, ita ut linguis omnium gentium loquerentur Dei magnalia. Adventus itaque Spiritus sancti de cælo super Apostolos in varietate linguarum diffusa, solemnitatem transiit in posteros, eaque de causa Pentecoste celebratur, & dies ipse proinde insignis habetur. Concordat autem hæc festivitas

Evangelii cum festiuitate legis. Illuc enim posteaquam agnus immolatus est, interpositis L. diebus, data est lex Moyfi scripta digito Dei: hic postquam occisus est Christus, qui tanquam ovis ad immolandum ductus est, celebratur verum pascha, & interpositis L. diebus datur Spiritus sanctus, qui est digitus Dei super CXX. discipulos, Mosaiica ætatis numero constitutos. Siquidem & hæc festiuitas & aliud obinet sacramentum. Constat enim ex VII. septimanarum. Sed dierum quidem septimanæ generant eandem Pentecosten, in qua peccati fit remissio per Spiritum sanctum. Annorum verò septimanæ quinquagesimum annum faciunt, qui apud Hebræos jubileus noniatur, in quo similiter terræ fit remissio, & seruorum libertas, & possessionum restitutio, quæ pretio fuerant comparata. Septem etenim septies multiplicati, quinquagenarium ex se generant numerum, assumpta monade, quam ex futuri seculi præsumptam esse, majorum auctoritas tradit. Fit enim ipsa & octava semper & prima, immò ipsa semper est una, quæ est omnis dies. Necesse est enim sabbatissimum animarum populum Dei illuc concurrere, atque ibi compleri, ubi datur pars his qui octo: sicut quidam differens, Salomonis dicta sapienter exposuit. Idcirco autem totius quinquagesimæ dies post Domini resurrectionem reuoluta abstinentia in sola læticia celebrantur, propter figuram futuræ resurrectionis, ubi iam non labor, sed requies erit, & læticia. Ideo his diebus nec genua flectuntur, quia sicut quidam sapiens ait: *Inflexio genuum, penitentia & luctus iudicium est.* Unde etiam per omnia eandem in illis solennitatem, quam die Dominico custodimus, in qua maiores nostri nec jejunium agendum, nec genua esse flectenda ob reuerentiam Dominicæ resurrectionis tradiderunt.

DE JEJUNIO PENTECOSTES.

Secundum jejunium est, quod iuxta Canones post Pentecosten alia die inchoatur, secundum quod & Moyfes ait, Intium mensis ordearii facietis vobis heptomadas VII. Hoc jejunium à plerisque ex auctoritate Evangelii post Domini ascensionem complectitur, testimonium illud Dominicum historialiter accipientes, ibi dicit: *Nunquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* Post resurrectionem XL. illis diebus, quibus cum discipulis postea legitur conuersatus, non oportere nec jejunare nec lugere, quia in læticia sumus. Postea verò cum tempus illud expletur, quo Christus ad volans ad celos præsentia corporali recessit, tunc indicendum jejunium est, ut per cordis humilitatem & abstinentiam carnis mereamur de caelis promissum suscipere Spiritum sanctum.

DE JEJUNIO SEPTIMI MENSIS.

Tertium jejunium est, quod à Judæis agebatur post tabernaculorum solennitatem, quod decimo die Septembris mensis Ecclesia celebrat. Hoc enim primum in lege à Domino constitutum est, dicente à Moyfen, *Loquere filiis Israel dicens: Decimo die mensis septimi, dies exorationis vocabitur. Sanctus erit vobis, & humiliabitur animas vestras in jejunio. Omnis anima quæcunque se non humiliaverit in ipso die jejunii, exterminabitur de populo suo: omnis anima quæ fecerit opus in ipso die jejunii, peribit anima illa de populo suo.* Quo quidem jejunio usos fuisse antiquos, Eisdæ liber meminit. Postquam redierant, inquit, filii Israel in Ierusalem, & fecerunt ibi solennitatem tabernaculorum læticia magna. De hinc conueniunt in jejunio, in sacris, & humis super eos, & confitebantur peccata sua, & inquit ares parum suorum Et conuerserunt ad standum, & legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum. Hoc enim mense septimo sol secundum computum incipit minus facere de die, & nox esse major, id est XII. Cal. Octobris, quando æquinoctium est:

ideoque & jejunium habetur in hoc mense, quia ostenditur in defectione solis & noctis augmento vita nostra deficere adueniente morte: quæ mors iudicio Dei, & resur- rectione preparatur.

DE JEJUNIO CALENDARUM NOVEMBRIUM.

Quartum jejunium Calendarum Novembrium est, quod divina auctoritate vel initiatum vel institutum Jeremia Prophetæ testimonio declaratur, dicente ad eum Domino: *Tolle volumen libri, & scribes meo omnia verba quæ locutus sum tibi, adversum Israel & Iudam, & adversum omnem gentem, si forte revertatur unusquisque à via sua pessima, & propitius ero iniquitati eorum.* Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Nerie, & scribit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos est locutus ad eum in volumine libri. Et præcepit Jeremias Baruch dicens: *Ingredere & lege de volumine, quod scripsisti ex ore meo, verba Domini audiente populo in domo Domini, in die jejunii legis, si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini: & revertatur unusquisque à via sua mala, quoniam magnus furor & indignatio, quam locutus est Dominus adversum populum hunc.* Et fecit Baruch filius Nerie iuxta omnia quæ præceperat Jeremias Prophetæ, legens ex volumine sermones Domini in domo Dei. Factum est in mense nono prædicaverunt jejunium in conspectu omnis populi in Ierusalem. Hac ergo auctoritate divina scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & univèrsale jejunium hac observatione celebrat.

DE JEJUNIO QUATUOR TEMPORUM FERIA IV.

Quatuor sunt tempora anni, id est, ver, æstas, autumnus & hyems. Hæc tempora solent nos per lætamenta sua revocare ab amore charitatis. In quibus oportet nos jejunare, etiam si venerit infra Pentecosten, quando celebratur festiuitas septiformis spiritus; ut illud Dominicum: *Venient autem dies, in quibus auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* De his Augustinus, *Quamvis ordinatio non fiat, necessarium tamen est nostra religionis, & v. temporum jejunia celebrare.* De eodem jejunio dicit Leo Papa in Homeliis, *Vt jejunium celebraretur in largitione sacrorum ordinum, sicut Ecclesia primitiva mos obtinuit: ut illud, Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus, Separate mihi Paulum & Barnabam in opus, & reliqua. Tunc jejunantes & orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Isto die, id est, iv. feria leguntur duæ lectiones: quoniam hi qui ad sacrum ordinem transeunt, debent admoneri, ut habeant noticiam legis & Prophetarum. Quarta enim ætate lex & prophetia viguerunt, & David belliciosissimus, qui interpretatur manu fortis, in eadem ætate Goliath, id est, humilitas, prostravit superbiam, contra quem Goliath, id est, diabolus debent in humilitate dimicare, qui ad sacros ordines provehantur. Quinta feria deest officium & missa, ideo debes cantare de Dominica Pentecostes.*

DE CALENDIS JANUARI.

Hæc Calendarum secundum dementiam gentilium, dicenda sunt potius cavenda, quam Calendarum. Ea liquidem tempestate, quando iudices præerant filiis Israel, hoc est ante Samson, fuit quidam princeps gentilium in Italia nomine Janus, à quo Januarius mensis postea nuncupatus est. Hunc verò Janum imperiti homines, qui Deum non cognoscebant, quasi regem merebant, & pro Deo colere illum cœperunt, duæque facies illi figurare propter orientem & occidentem; nec non & quadrifidam appellarunt, id est, Janum geminum, propter quatuor partes, seu quatuor elementa atque tempora quatuor. Sed cum hoc facerent, monstrum potius formabant, quàm Deum. Unde Numa post Romulum primum mensis anni voluit, tanquam bicipitis Dei mensis, respicientem transacti ann,

finem, futurique principia: & Januarius vocatum, eo quod sit limes & janua anni. Unde imperiti homines veluti Deum colentes, diem ipsum multis spurcitijs consecraverunt. Quidam mutabant se in species monstrosas, inferarumque habitus transformabant. Aliqui in femineo gestu mutati, virilem vultum effeminabant. Nec immerito virilem fortitudinem non habent, qui in mulieris habitum transierunt. Aliqui fanaticis augurijs profanabantur, pestrepebant saltando pedibus tripudiantium plausibus. Nonnulli auguria ita observabant, ut focum de domo sua, vel aliud quodcumque beneficium cuiquam petenti minime tribuerent. Diabolicas etiam frenas & ab alijs accipiebant, & ipsi alijs tradebant. Nec non etiam mensulas plenas ad manducandum tota nocte paratas habebant, credentes quod Calendæ Januariae per totum annum præstare potuissent. Et quia his atque alijs miseris mundus universus repletus erat, statuit universalis Ecclesia jejuniis publicum in isto die fieri, quatenus his calamitatibus auctor vite finem imponeret. Sed quia Domino largiente hæc a fidelibus pro nihilo habentur, licet quantumcunque similitudines quod absit, adhuc lateant in feris hominibus, omni tamen contamine prohibendæ sunt, atque pellendæ. Neque enim aliud quicquam novi in istidem calendis præsumendum est, nisi quod & in alijs Calendis mensium, excepto quod octavæ Dominicæ cum eximio culto celebrentur, ut supra præfixum est. Sed neque illud reticendum, quod cum quadam die hæc superstitiones diabolicæ Romæ agerentur, quidam sanctus Almachius, cum diceret, Hodie octavæ diei Dominicæ sunt, cessare ab his superstitionibus idolorum, & sacrificijs pollutis, jubente Atypio urbis præfecto hæc de causa interfectus est.

DE TRIDUANI JEJUNIIS.

TRiduani autem diebus jejunare, de exemplo sumptum est Ninivitarum, qui damnatis pristinis vitijs totos se tribus diebus jejuniis ac penitentia contulerant, & operi facis Deum ad misericordiam provocaverunt.

DE DIVERSORUM DIERUM AC TEMPORUM JEJUNIIS.

PRæter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omnis VI. feria propter passionem Domini a quibusdam jejunatur. Sed & sabbati dies à plerisque propterea quod in eo Christus jacuit in sepulchro, jejuniis consecratum habetur, scilicet ne Judæis exultando præstetur, quod Christus sustulit moriendo. Die autem Dominico reficiendum semper esse, ut resurrectionem Christi, & gaudium nostrum prædicemus, præsertim cum Apostolica fides hanc regulam servet. Post pascha autem usque ad pentecosten, licet traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandij relaxaverit, tamen si quis monachorum vel clericorum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi: quia & Antonius, & Paulus & ceteri patres antiqui, etiam in his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neque absolvisse abstinentiam, nisi tantum die Dominico. Quis enim parimoniam non laudet, jejuniis non prædicet? Jejunium enim res sancta, opus cœlestis, janua regni, forma futuri, quod qui sancte agit, Deo jungitur, alienatur mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.

VENERALIS BEDÆ, LIBELLI DE Officijs, Finis.

BEDÆ IN PROVERBIA SALOMONIS, ALLEGORICÆ INTERPRETATIONIS FRAGMENTA, in antiquo Codice reperia.

IN VII. CAPUT PROVERBIORUM.



Eccæ mulier occarris illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta argulos insidians. Omnis quippe hæreticus virili sensu carens, ritè mulier appellatur: quicum sermones politos proferre studeat, liquet, quia meretricio cultu sese extrinsecus ornat: quoniam conatur luculentia sermonis efficere id, quod non valet gratia sancti spiritus munere supplere. Quod si aliquando itis femitis quempiam resistentem invenerit, repente potius pro garulitatis consuetudine, quam virationis perspicua ipsum attentat superare. Vagus verò esse dignoscitur: quia quem spiritus erroris trahit, mentis sanæ stabilitatem nequaquam novit. Sive vagus, bene esse dicitur, quoniam omnis qui lineam veritatis declinare gessit, constat plane quia diverticula diverso tramite fugitans inquirat. Vagus, quia diversarum sectarum laqueos nescit, quibus animas simplicium irretire possit. Ille nimirum quietis impatiens esse memoratur, quia terminos Patrum transgreditur: & quæ sit vera quies, quoque modo conquiratur, ruptis habentis patientiæ, impatiens ipse in præceptis fertur, nescit ignorantiam circa nonnulla rerum, quæ perspicacitate humanæ mentis transcendunt: apud se quasi domi non valet stare, sed diversis affectionibus proventus, quasi pedibus per anfractus erroris graditur. Est & alia domus, de qua nefarijs actibus egreditur, Ecclesia videlicet: quanvis in ea corporali specie morari videatur. Propterea ponit insidias ijs qui forensium rerum negotia dispensant: item alijs quos latitudo vitæ carnalis allicit, disciplinam tendit: dein carens, qui frequentat angulos tenebræ vitæ, fallendis insidit. Sive per triplicem situm locorum non incongruè triperditus intellectus sacra scripturæ potest intelligi. Foris namque hæreticus insidiatur, cum simplicium corda, quos alit historia litera, eam pervertendo decipere molitur: cumque latitudinem allegoriæ peragrat, multotiens inde nonnulla excerpit, quæ fidei contraria esse multitudo fidelium potestatur. Ubi verò ventum est ad moralitatis species, quia diverso tramite pro diversitate mortalium compinguntur, similiter entens aliquid ibidem depravare consuecit.

IN CAPUT TRIGESIMUM PROVERBIORUM.

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in celo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua. Aquila vocabulo quilibet spiritualis vir designatur, qui more avis præfata aciem oculorum superno soli insigere nititur. Cujus verò progressus nemo dignoscere potest, quoniam non est corporale quicquam ibi, unde possibilitas cupiam relinquatur, cuius suffragio vestigium aquilæ persequi valeat. Spiritualis quippe judicat omnia, & ipse à nemine judicatur: Dulcedo namque contemplationis sentiri potest, sed formam imitationis haudquamquam habet. Haud secus via colubri sibi nota est quam supra petram facere solet. Per petram soliditas cordis, per colubri verò gressum suggestio maligni spiritus figuratur. Interdum antiquus serpens cordibus electorum turpia suggerendo, vestigium sui eisdem imprimere nititur. Ceterum ipsi supra firmam petram fundati, violari nequeunt, virtus iteneris pestiferi suscipere nesciunt. Quæ res utique

nulli